GAUDEO
John Carter Brown
Library
Brown University

EPISTO-
LA FERDINANDI CATHOLICI REGIS ARRAGONVM &c. AD CAROLVM REGEM CASTILIAE &c. NEPOTEM. PER RICCARDVM BARTHOLINVM FOELICITER TRANSLATA.

MAGNIFICO ET EXCELLENTISSIMO E QVITI ET DOMINO P. VRREAE ORA- TORI HISPANO DOMINO SINGV LARISSIMO IACOBVS SPIE- GEL SALVTEM. D.

FERDINANDVS HISPANIARVM
Rex Catholicus ac pientiſſimus, cuius recentis obi
tus dolore, non minus Germani q̃ hiſpani affecti
ſunt, pridie q̃ moreret̃, epiſtolā ad ſereniſſimum
Carolū regem Nepotem: ſuorumq; Regnorum ſucceſſorem
ſcripſit. quā, dū ſcribentis ꝑſonā: ac tēpus animo cōplectimur,
ſine lachrymis omnino legere non poſſumus. Hanc Reueren
diſſimo Dño & prĩcipi Gurceñ allatam, Riccardus Bartholi
nus eius aulicus vir ſane literatus verſibus exarauit. Cumq; ad
manus meas ꝑueniſſet & imprimendā: & tuæ. d. dedicandam
putaui nemini. n. hoc munuſculū q̃ tibi, qui tamdiu ingentes
ꝓ ſanctiſſimo principe labores exanclaſti putaui charius fore.

HEſperiæ occiduis tibi Ferdinandus ab oris
Magnanime hanc moriens Carole mittit auus
Venit ſumma dies extremo debita fato
Tempore/qua/paruo vita ſuperſtes erit
Regnorum, at quoniam: noſtriq; reliqueris heres
Te meus his memorem reddere iuſſit amor
Certe hac mortali, doluiſſem excedere, vita
Tu niſi, qui regeres, poſt, mea ſceptra, fores.
Cuius magnanima tam clara ſub indole virtus
Tam vera eſſe in te fertur imago patris
Vt lætus moriar, nec te ſuccedere nobis
Inq; tuas dubitem tradere regna manus
Quæ quoniam multo parcta: & defenſa labore
Auximus, his ſimilem te decet eſſe mihi
Bethica ſit teſtis quarta trieteride victa
Atq; ex hoſte mea, rapta trophęa, manu.
Ah quotiens trepidum ſub dio carpere ſomnum
Et modicos memini ſumere poſſe cibos
Infrænes aderant hoſtes, Ego ſæpe, relicto
Martia cogebar tendere in arma, thoro
Sed pia tam longi minuit mihi tædia belli
Vxor, curarum quę comes vna fuit
Quæ non perpeſſa eſt? quæ non tolerauit in armis?
Plurima vt hinc regeres/regna ſubacta/nepos.
Quid memorem littus noſtris iam claſſibus Aphrum
Perdomitum, & Libyco iam data fræna mari?
Vndiq; pyratæ verrebant æquora Mauri
Raptoresq; ſuos fuderat altus Atlas

Arma paro: claſſemq; apto: perq; arida, Iberus
Exhauſtus multa militat arua ſiti
Sic Tripolim titulis noſtris adiecimus urbem
Dirutaq; Orani mœnia celſa iacent
Et niſi me impietas cœptis reuocaſſet ab armis
Qua preſſum Gallo iuſq; / piumq; fuit
Certe iam nobis ſeruiret barbara Memphis
Et Bethis Nilo clarior vnda foret.
Sed mea Parthenope: ſacræq; iniuria mythræ
Impulit incepti fine carere mei
Noſtra etenim Italiæ direximus agmina ad vrbes
Vnde ingens paſſa eſt Auſonis ora malũ
Omnia ſic terra: pontoq; hæc geſſimus, eſſe
Vt ſuperi æternum ſub tua iura ſinant.
Quare per ſacri Geniũ: cinereſq; parentis
Vlla tibi imperij eſt ſi pia cura tui
Huc propera: populoſq; tuos, tot regna: tot vrbes
Excipe, debentur, poſt mea fata, tibi
Nec te detineant Belgæ: Moriniq; ſub Arcto
Nauale aut veteris nobile Geſoraci
Linque parum Bathauos, nam tu de monte Pyrenes
Dices, iam patrij pars quota queq; ſoli eſt?
Nanq; tibi occurrent ſeptem ſimul inclyta regna
Et gente: & ſceptro quæq; ſuperba ſuo
Ipſa atauum referet phœnicum a ſanguine Cadmum
Carthago, antiquos Tarraco Scipiadas
Prætereo ſpolijs q̃ clara Valentia regum
Q̃ꝫq; auri, & pinguis Corduba diues agri

Aſpicies etiam celeri cum corpora ſaltu
Martius in rapidos ſubijcit Aſtur equos
Necnon antiqui mirabere flumen Iberi,
Et credes Rheno non minus eſſe tuo
Ac vitreo quamuis extollas gurgite Moſam
Non tamen hic aurum gignit, vt vnda Tagi
Addo alios etiam quæſitos nauibus orbes
Sæpeq́; gens noſtras vidit Eoa rates
Vnde tibi venient, cum primum regna capeſſes
Antipodum domitis munera miſſa plagis
Sed quoniam ætatem fulctam grauioribus annis
Quod capis imperij tam graue poſcit onus
Hæc meminiſſe velis, etenim tecum vltima fantem
Me decet, vt nato conſuluiſſe tibi
Sis pius imprimis, dono mortalia diuum
Sunt ſpatio, nobis regna tributa, breui.
Eſſe deis tantum ſimiles illuſtribus actis
Poſſumus: & longa poſteritate frui
Te quanq́; hæc moueant peragenda, animuſq́; virilis
Excitet, ad phamam quos imiteris, habes
Noſtra tibi, & magni repetatur patris imago
Bellica, quo nemo fortior arma tulit
At ſi te noſtri memorem piget eſſe laboris
Pone exempla oculos Cæſaris ante tuos
Qui tibi tot mea regna dedit, non Marte, nec armis
Quæſita, ingenio parcta ſed illa ſuo
Et niſi me terris rapuiſſent fata relictis
Senſiſſem Euganeos hunc domuiſſe patres

Spero tamen, ſiquiſq; haurit pia facta, deorum
Me ſtra uiſurum grandia geſta polo
Atq; animas ſi vnq; coelo deſcendere fas eſt
Aut repetit patrios vmbra beata lares
Tu quoq; præſentes poteris cognoſcere diuos
Numina nec cœptis defore ſacra tuis
Ergo veni, lætuſq; meas incede per vrbes
Et Libyci inceptũ perfice Martis opus
Nam vereor, multum ſi tu remoraberis abſens
Hiſpanum excutiet Barbara terra iugum
Extremum reſtat ſolum de coniuge munus
Quæ cupit, ah pietas, me moriente, mori.
Totus in hanc feror impatiens, noſtroq; recurſat
Sola animo, atq; huius fixus inhęret amor
Per lachrymas ergo noſtras, ante omnia quæſo
Digna ſit vxoris iam tibi digna meæ
Hanc manibus: fideiq; tuæ poſt fata relinquo
Ah qualis noſtri ſpes fuit illa thori
Martia nõ potuit priſco coniuncta Catoni
Alceſte Admeto charior eſſe ſuo
Regnorum hanc parua noſtrorum in parte reliqui
Vt ſtatui, noſtri ſi memor, eſſe ſinas
Hoc abſte vitæ ſupremũ in fine requiro
Vt quam uiuus ego, tu quoq; viuus ames
At præſtanda mihi non ardua munera poſco
Multaq; non vmbris perſoluenda meis
Cum primum Heſperios: & Bethica littora tanges
Irrora manibus noſtra ſepulchra tuis

Fundeq́ dijs lachrymas, & perfice ſacra quotannis
Fœlicemq́ roga manibus eſſe locū
Plurima mandarem, fato niſi lingua propinquo
Hęreret dempto faucibus ægra ſono
Viue vale fœlix, & dij tua facta ſecundent
Tuq́ memor noſtri nominis eſſe velis

Finis

RE16
F347e